DISSERTATIO CIRCULARIS

EXHIBENS

MIRACULUM SOLIS ATQUE LUNAE IN HEMISPHAERIO GABAONIS ET AIALONIS AD MANDATUM IOSUAE STANTIUM

IOSUAE X. v. 12. 13.

QUAM
DIVINO NUMINE CLEMENTISSIME ANNUENTE
PRAESIDE

M. PETRO Becker,
SCH. PAT. RECT. MATH. PROF. PUBL. ET PHIL.
FACULT. h. t. DECANO

DIE OCTOBR. A. O. R. M. DCCIII.
PLACIDO AMICORUM COLLOQUIO SUBMITTIT
RESPONDENS

ISAACUS HOEMANN,
COLB. POMER.

IENAE
RECUSA SCHILLIANIS. 1739.



PRAEFAMEN.

VNam esse & eandem vbique tam Scripturæ quam naturæ veritatem, & eam vtrobique in rebus mere naturalibus harmoniam & consensum, vt nec ista huius dictamini, neque vero hæc istius assertis vnquam reuera contradicat, euictum satis dedit in controuersia illa Hoffmanniana *Albertus Gravverus* lib. de *vnica veritate;* consentientibus dubio procul & consensuris, quotquot æquo rem omnem iudicio ponderauerint. Satis igitur prudenter satisque caute grauissimus ille Hipponensium Præsul quondam Augustinus *lib. 1. de Genesi ad literam* (dignissimo sane, quem legant sedulo obseruentque, quotquot Scripturæ veritatem cum natura conciliare conantur) cap. XVIII. *si quæ, in rebus obscuris & ab oculis remotissimis,* inquit, *scripta legerimus etiam diuina, quæ possunt salua fide aliis atque aliis parere sententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita proiiciamus, vt, si forte diligentius discussa veritas eam labefactauerit, cor-*

ruamus. Quæ & alia multa, his ſimilia, Autoris verba Reuerendum Daniæ Theologum *Brunsmannum*, acerrimum alioqui Scripturæ, eiusdemque normatiuæ etiam in naturalibus poteſtatis, vindicem eo perducere valuerunt, vt Tractatus, *Gratia natura interpres*, lib. 1. c. 1. non tantum Galilæi verba, ſatis tamen dura & aduerſæ parti maxime fauentia, prouti ipſe ibidem citauit eadem, toleret, ſed etiam p. 4. adiiciat: *data in rebus communibus demonſtratione, ob proprietatem ſacrarum literarum & apparentem cum iis pugnam, eas negari minime poſſe.* Quamuis enim hallucinari dicantur, & a veritatis tramite aberrare Copernicanorum illi, qui, Scripturam ſacram vulgi erroribus ſeſe accommodaſſe, tenaciter defendunt, quorum e numero nominandus præ aliis erit acutisſimus alias *Wittichius* in *Conſenſu Veritatis Scripturæ cum Philoſophia*, oppugnatus non tantum a *Brunsmanno* l. c. ſed a *Iac. Boiſio in Veritate ſacra contra Wittichium*, aliisque: *Gaſſendus Inſtit. Aſtron.* lib. 3. c. 10. vt & *Animaduerſ. in Epicuri Meteorol.* Tom. Op. II. p. m. 840. ſeq. *Megerlinus Syſt. Mundi Copern.* p. m. 73. ſeqq. *Galilæus Galilæi* (hæreſeos propterea a Congregatione Cardinalium damnatus & abiurare opinionem illam coactus, vti prolixius citatis Cardinalium decretis hiſtoriam refert *Ricciolus Almag. Noui* Tom. I. lib. IX. Sect. 4. p. 495. ſeqq.) *Keplerus Myſterio Cosmogr.* aliique infinite multi; ea tamen Philoſopho præſertim Chriſtiano cauta vbique adhibenda eſt moderatio, vt, ſicuti nullum in Philoſophia aſſertum ceu verum agnoſcit firmumque quod ſacris literis rite intellectis re vera contradicat, ita contra in rebus mere naturalibus certis & euiden-

tisſi-

tisſimis nulli Scripturæ interpretationi, apparenter veræ, re ipſa tamen erroneæ, temere ſubſcribat, quæ, literæ textus vel quaſi conſona, rectæ tamen rationi e diametro aduerſetur. Quemadmodum enim vnicus tam Scripturæ quam naturæ, & veritatis in vtraque fundatæ, autor eſt & Dominus, verumque vero nunquam eſt contrarium, ita, ſi quid ſenſus bene diſpoſiti, & ratio recte ſe habens, & experientia certa verum deprehenderint, Scriptura ſacra illud non poterit vel deprehendere vel aſſerere falſum. Equidem is ego non ſum, qui Scripturam ſacram in rebus naturalibus ad ſolius naturæ analogiam explicandam eſſe, cenſeam cum *Megerlino* loco iam cit.; multo minus qui naturam gratiæ interpretem vel dicam, vel ab aliis craſſo cum errore dictum probem; ceterum nec illis poſſum aſſentiri, qui res naturales, nec in fidei articulos deducentes, neceſſariis inuictisque ex natura argumentis veras deprehenſas, ideo tamen negare ſuſtinent, quod ei dictum aliquod ſacrum ſpecie tenus videatur aduerſari; vti factum eſſe conſtat ex Elencho, vel a pueris hodienum eluſo, Zachariæ Pontificis Sec. 8. in Vergilium illum Epiſcopum Salisburgenſem terram vndiquaque habitatam & hominibus, adeoque Antipodibus, circumfuſam aſſerentem, prouti non ſine ludibrio Pontificum illud argumentum perſecutus eſt max. Reuerendus Röberus *Diſp. de Matheſeos Sacra Definitione*, quam nuper vna cum *Spicilegiis Biblico Mathematicis* denuo impreſſam exhibuit Excellentisſimus *Dicelius*, conf. *Spicil.* I. p. 15. 18. it. *Lansbergii Comment. p. 12. 13.* vt vt ipſum Pontificis elenchum *Ricciolus Almag. Nov.* Tom. II. lib. 9.

 p. 489.

p. 489. 490. quouis modò excuſare ſtudeat. Quapropter, ſicuti Scriptura eſt lingua DEI, natura vero digitus DEI, iudice *Keplero in notis ad cap. 1. Myſterii Cosmogr.* ita eandem vtrobique veritatem a fonte omnis veritatis offerri nobis tam eſt certum, vt, *ſicubi vel de terra vel de coelo vel id genus aliis occurrat, quod ſapientes veracibus documentis potuerint demonſtrare, oſtendendum nobis ſit, noſtris ſacris literis non eſſe contrarium*, monente Auguſtino l. c. cap. 20. vt adeo apparens iſta contradictio tollatur. Cui quidem de Scripturæ & naturæ vnica veritate controuerſiæ ſicuti anſam dare poterat hypotheſis illa Solis in centro locati, terræque motæ Copernicæa (vti vulgo audit) rationi quidem facile vero ſimilior & conſentanea magis quam altera illa moti Solis Tychonica, ſenſibus & Scripturæ conuenientior viſa plurimis; ita operæ videbitur pretium, ea Scripturæ loca perluſtrare, quæ huic materiæ inſeruire poterunt. Quamdiu vero harum hypotheſium neutra inuictis & apodicticis quidem rationibus ex natura, ſ. ſenſibus ſ. rationi ſ. experientiæ innixa, demonſtrata fuerit, tamdiu textus quidem ſacri literæ ſine erroris ſ. metu ſ. periculo inhærendum eſſe videtur. Eſt vero locorum iſtorum hoc thema proponentium, primus & primarius facile, quem Ioſuæ X. caput v. 12. & 13. proponit; conferendis tanquam parallelis Hab. 4. v. 11. Syrac. 46. - - 5. Cuius quidem loci potiores hac vice circumſtantias, moderante Spiritu veritatis in omnem nos veritatem ducturo, in ſpecimen Diſputat. Circular. paucis perluſtrabimus.

CON-

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

PRAEFAMEN DOCET, EANDEM SCRIPTVRAE ET NATVRAE VERITATEM, IN REBVS NATVRALIBVS SEDVLO CONFERENDAM.

§. 1. Verba *textus*, miraculum complectentis, *occaſionem* & *connexionem* recenſet.

§. 2. Quo diei *Tempore* contigerit miraculum, inquirit.

§. 3. *Locorum*, vbi euenerit, *ſitum* & *diſtantias* inueſtigat.

§. 4. *Miraculum* omnino fuiſſe in genere euincit.

§. 5. Quid per *Solem* & *lunam* h. l. intelligatur, explicat.

§. 6. Quomodo Sol & luna *ſteterint*, demonſtrat.

§. 7. Quomodo ſteterint *e regione Gibeonis* & *Aialonis*, oſtendit.

§. 8. Quodnam ſit *medium* illud *coeli*, quo ſtetiſſe Sol dicitur.

§. 9. Quam diu *durauerit* miraculoſa hæc ſtatio, demonſtrat.

§. 10. Concludit.

§. I.

Miraculum ſtantis ad mandatum Ioſuæ ſolis atque lunæ explicaturos, præmittere omnium primo oportebit & verba ſacri textus originalia, & ſuccinctam antecedentium, quæ occaſionem miraculo dederunt, cum textu noſtro connexionem, vt omnia euadant magis lectori perſpicua. Sunt autem originalis textus, miraculum hoc ſtricte proponentis, quæ ſequuntur verba: שמש בגבעון דום וירח בעמק אילון וידום השמש וירח עמד — ויעמד השמש בחצי השמים ולא אץ לבוא כיום תמים quorum ſenſum latine nos ita reddimus: *Sol contra Gabaon quieſcas, & luna contra vallem Aialon, & quieuit ſol & luna ſtetit ---- & ſtetit ſol in dimidio coelorum, & non feſtinauit occidere ſicut die perfecto.* Non abludente multum ab hac noſtra B. Lutheri germanica verſione. Huic quidem textui iungimus illum, quem Hab. IV, 11. deprehendimus שמש ירח עמד:

Sol

Sol & luna ſtetit. vt & Syrac. XLVI, 4. Ὀυχὶ ἐν χειρὶ αὐτȣ̃ ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος, καὶ μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο. Ceterum occaſionem miraculi quod concernit, crediderim ipſum capitis huius X, cum præcedentibus collati, textum verbis maxime euidentibus deſcripſiſſe illatum Gabaonitis abs Amorrhæorum quinque Regibus bellum v. 1. -- 5. & imploratum ab his, vrbem ſuam corona capi, ſibique indies arctiora omnia reddi cernentibus v. 5. Ioſuæ potentiſſimi Iſraelitarum ducis (cuius ſocietatem dolo nuper pacti erant, iuxta c. IX.) auxilium v. 6. Ioſua itaque omnem fere exercitum ad pugnam paratum e Galgale mouens v. 7. firmato diuinitus animo v. 8. factoque vel per noctis caliginem itinere, improuidis nihilque eorum metuentibus hoſtibus ſuperuenit v. 9. eosdemque, incuſſo deſuper pauore territos, commiſſo circa vrbem acriter prælio, ingenti clade perculit, & per accliuia & decliuia Bethoronis Acecam vsque & Macedam fugatos ſtrenue perſecutus eſt v. 10. Hoſtibus autem plurimis partim immiſſa a DEO ipſo grandinis plaga, partim ferro Iſraelitarum proſtratis, v. 11. cum acriter inſtaret fugientibus reliquis Ioſua, veritus vt ſatis ſibi lucis, ad delendos vniuerſos, ſupereſſet, ipſum ſolem, ne occideret, ſed ſplendore ſuo illum Gabaonis & Aialonis tractum illuſtraturus ſupra Horizontem, deficiente licet omnis naturæ lege, conſpiciendum ſe præberet, allocutus, lunæ quoque, ad noctis dominium a DEO conditæ, curſum inhibuit.

§. II.

Præcipue hic temporis habenda nobis erit ratio, quo euenerit in cœlorum iſthoc magnifico expanſo miraculum. Equidem quo præciſe mundi anno, certis ſuis, vti fas erat, numeris determinabili contingerit, tacente plane Script. S. fide atque authoritate Hiſtoricorum omni exceptione maiorum deſtituti, determinare fruſtra allaborabimus; ſatis habituri, dixiſſe: in primum aut ſecundum

ad

ad summum annum a miraculoso populi Israelitici per Jordanem transitu ab Autoribus, historiæ sacræ contextum secutis, probabiliter illud coniici. Non minus crediderim fore difficile, certam huic miraculo anni tempestatem mensem aut diem destinare. Rabbinorum enim affirmantium: *quod illa pugna contigerit* בתקופת תמוז *circa solstitium Junii nobis æstiuum, quando sol in summo cœli fastigio videtur hominum capitibus impendere*, teste *Münstero* ad h. l. *cit. Oper. Crit. Angl.* tanta mihi non videtur autoritas, vt fides illis hac in re sit habenda, incertis insuper, vtrum in plenilunio, quod nonnulli volunt, an nouilunio, quod alii, fuerit; notante *Abarbanel Comment. in Jos. c. X.* In quam vero diei cuiuscunque demum partem, præeunte quidem Scriptura S. remittendum sit, diuersa est autorum sententia; aliis meridiem, vesperam aliis, aliis vtrumque defendentibus. Commentatorum maior, & dixerim maxima, pars meridiem vel ex hac sola ratione tuetur, quod sol *in medio cœlo* dicatur constitisse, id quod non nisi in meridie fieri posse opinati sunt; facile, vt credo, vesperam defensuri, dummodo saluari citata modo verba possint. Vespertinum tempus qui eligere maluerunt, ad verba ista: *non festinauit sol occidere* prouocant, per medium illud cœli aliud, quam lineam meridianam, intelligentes. Apparentem hanc textus sacri contradictionem declinaturi Rabbinorum aliqui, citati a supra dicto *Abarbanel ad h. l.* duplicem fingunt Solis stationem: alteram circa meridiem, alteram circa vesperam, omni licet fundamento cæteroquin destituti. Nobis quidem probabilior eorum sententia, qui vespertinum tempus tuentur, adhuc est visa, idque ob sequentes potissimum rationes; I. Occidentis iam iam solis expressa textus litera, non sine summa necessitate (hic tamen exulante) deserenda, facit mentionem: *Sol non festinauit occidere.* In eo ergo erat, vt occideret, & occidisset extemplo, nisi inhibitus esset, vt deinceps di-

B cen-

cendum erit II. connectendi particula אז, non ſine emphaſi alteri illi ביום תת &c. addita, & ab ea tamen vtique longe diuerſa, indice quaſi digito innuere videtur, Joſuam, cum ſolem occaſui vicinum conſpiceret, verba hæc mandatoria locutum. Quam eius particulæ emphaſin erudite ſatis urget *Abarbanel* c. l. dicens: לפי שהיה זה סמוך לשקיעת החמה וראה השמש יורד לחכנס תחת הארץ בנכחיות גבעון והתחלה הלבנה להראת עולה מן הארץ בעמק אילון id eſt: *quoniam hoc eſſet prope occaſum ſolis, & videret ſolem deſcendentem, vt congregaretur ſub terram e regione Gibeon, & inciperet luna apparere aſcendens e terra in valle Aialon &c.* In quem fere modum *Maſius Comm. in Joſ. ad h. l.* addit: *Probabiliter videtur dici poſſe, imperatorem fortisſimum non ante ſollicita iſta vota feciſſe, quam diem in veſperam inclinatiorem, victoriæ vero magnam partem reſtare animadvertiſſet, veritusque fuiſſet, ne appetens nox prælium citius dirimeret, & ſecuram hoſtibus fugam afferret* III. Prælium iſtud circa Gabaonem commiſſum & מכה גדלת בגבעון inſignis illa clades, quinimo perſecutio fugientium hoſtium a Gibeone Acecam vel Macedam vsque, non maiorem tantum diei partem ſed omnem fere extraxerat, vti apparatus bellici peritis facile patebit, præſertim ſi locorum iſtorum diſtantiæ ſimul habeatur ratio. IV. addere licebit, quod culminante ſole Joſua de occaſu eius vix videatur potuiſſe cogitare; quod lunæ faciat mentionem probabiliter ad oppoſitionem vergentis, adeoque plenæ fere; quod, ſole in dimidio cœli poſito, non ſtatim meridies inferatur &c. Quæ & alia ſententiæ noſtræ probabilitatem conciliare perſuaſus ſum.

§. III.

Temporis momento ſubiicienda merito foret loci, vbi contigerit ad mandatum Joſuæ hoc miraculum, qua ſitum & diſtantiam deſcriptio. Verum quid in tam diuerſis & plane inter ſe diſſonis Geographorum, de memoratis

in

in textu noſtro locis, opinionibus determinandum nobis ſit, vix liquet, adeo vt quæ in genere de difficultatibus Geographiæ ſacræ & autorum contradictionibus erudite monuit Clariſſimus *M. J. H. in der Vorrede der kurtzen Fragen aus der Geographia ſacra*, huc omnino quadrare videantur. Equidem in deſignando horum locorum, quoad tribus Iſraeliticas ſitu, facile autores conueniunt. Sic enim Bethoronem & Gabaonem in Tribu Beniamin; Acekam & Makedam in Tribu Juda; Aialonem vero in Tribu Dan ſitas fuiſſe, teſte præſertim Scriptura Sacra, ſortes Tribuum deſcribente, non eſt qui in dubium vocare audeat. Quod ſi autem quis ad eorundem locorum definitas a ſingulis autoribus in gradibus & minutis longitudines & latitudines (ſiue in conſtructis iam mappis, quales & *Heidmannus in Geogr. Sacra* & *Adrichomius in Deſcript. Terræ Sanctæ* aliique; autores vel ſine libris ſuppeditant, ſiue inſuper in catalogo, quem ex *Ptolomæo* & *Zieglero* adduxit *Henr. Bunting. Itiner. S. Scripturæ p. 22. ſeq.*) attendere et inueſtigare exinde locorum interualla voluerit, non leuem vbique deprehendet diſcrepantiam. Illud tamen vel maxime mirum videri poſſet, quod, cum diſtantiam Gibeonis & Aialonis (quorum præcipue allegata a nobis ſacri textus verba meminerunt) *Adrichomius*, vt & & *Heidmannus* 4. ad 5que; milliarium germanicorum ſtatuant, quod *Gverkius Exper. Magd. c. 8. §. III.* aſſerat: loca hæc non milliare germanicum a ſe diſtare; & *Bunting. Itiner. S. Scripturæ p. 102. Von Gibeon iſt Joſua gereiſet bis gen Aialon eine halbe Meile da hat der Mond ſtille geſtanden*, & *Oſiander Comm. in Joſ. X.* P. III. p. 79. *Vnius leucæ* diſtantiam defendat; adeo vt facile appareat, circa hanc materiam rationibus firmis plane nullis, ſed ſolis Geographorum longe diſſidentium iisque dubiis autoritatibus fundatam, certi quicquam definiri non poſſe. Quod ſi Rabbinorum aſſertis fidem adhibere quis voluerit, eam di-

ctorum locorum distantiam deprehendet, quantam, praesertim cum grauiori agmine, intra diei semissem emetiri Josua non potuisset notante illud Erasmo Francisci *Lust-Hauss der Obern-Welt* p 894. Unde רשי hoc loco ad vocem Aialon והוצא רחוק מגבעון שהרי גבעון בגבול בנימין ואילח בגבול דן רדק quæ tamen autoris ratio parum vel nihil probat. Quinimo sesquidiei interstitium Gabaonem & Aialonem inter constituenti contradicit *Masius cit. loco.* Ceterum Aialonem Gibeoni fuisse occidentalem, in australiorem plagam quodammodo inclinatam, consentientes habebimus autorum plurimos.

§. IV.

Rationem vero & modum huius miraculi, notabilioribus quibusdam circumstantiis in textu nostro descripti, quando explicaturi tandem sumus, vel ex solo harum pagellarum titulo constare arbitror longe nos esse ab iisdem alienos, qui vel ex principio Atheistico, vel excœcatæ mentis caligine miraculum hic nullum admissuri, ratione quadam naturali illud contigisse contendunt. Priorum e numero dubio procul censendus erit *Spinosa*, qui *Tract. Theol. Polit. c. 2.* diuturnioris (vt voluit) lucis caussam statuens solito maiorem ex glacie, quae tum in aere erat, radiorum solarium, refractionem, c. 6. fatetur: *Pio quodam dolo ad decipiendos Ethnicos, solem adorantes, partim ex religione, partim ex præconceptis opinionibus hebræos longe aliter concepisse & enarrasse, quam reuera contigit.* Cui iungendus vtique *Peyrerius Syst. Theol. l. 4. c. 5, qui non solis corpus sed lumen eius superfuisse* ait, *eiusdemque occumbentis fulgorem ciuitatem & montem circa Gabaon verberasse, vt effugere Amorrhæi non potuerint.* Qui Autores, quod verbis adstruunt miraculum re ipsa plane euertunt, citati pluribus & refutati satis ab Excell. *Reyhero in Matth. Mos. circa hunc Josuæ locum*, adeoque a nobis hoc loco non excutiendi. Posteriorem classem constituunt Rabbinorum isti, qui ob ra-

tionis

tiones plane lepidas & ridiculas ex parte (v. c. quod ſolare corpus ſphæricum ob rotunditatem ſtare non posſit; item quod Joſuæ hac ratione miracula forent maiora, ipſis miraculis Moyſis, & quas non alias) opinati ſunt: *Luminaria reuera non ſtetiſſe, ſed viſa tantum ſtare ob breuitatem temporis, quo Iſraelitæ deuicerint hoſtes, quod quidem erat negotium multorum dierum, quaſi dicere Joſua voluerit? Da domine, vt iſto tam breui interuallo vlciscamur nos de hoſtibus noſtris, quanto ſol ſtabit contra Gabaon & luna ſupra Aialon, prouti ita ipſorum mentem Vatablus Comment. ad h. l. cit. Oper. Crit. Angl. propoſuit, confer Erasmus Franciſci im Luſthauſs der Obern. Welt p. 891. ſeq.* Omne itaque miraculum in accelerata tantum Iſraelitarum victoria ponunt. vid. quoque *Oſiander Comment. in h. l.* quam quidem horum Rabbinorum hypotheſin ab Abarbanel in h. l. Joſuæ iam deſtructam citaſſe erit refutaſſe. Jungere vero illis commode licebit *Autorem Hiſt. Schol.* cuius meminit *Abulenſis in Reg. quæſt. 25.* qui ſidera naturaliter ſtare poſſe affirmauit, rationibus adductus, vti admodum infirmis (v. c. ex annuis ſolſtitiis, Planetarum ſtatione aliisque deſumendis) ita facile ſoluendis. Sicuti autem miraculum hic & quidem longe maximum cum Scriptura nos agnoſcimus, ita motæ terræ hypotheſin (ſuo a nobis loco cæteroquin relictam) illud vel euertere vel eidem derogare quicquam ne illi quidem concedunt, qui hypotheſin hanc alias maxime damnare ſolent. Proinde quando contra iſtam *Füllerus Miſc. c. 15. p. 99.* ita diſputat: *Libenter quæram ex iſtis hominibus quid tandem arbitrentur miraculum eſſe* &c. recte reſponderi autumo: æque magnum eſſe & manere miraculum, ex quacunque demum hypotheſi illud deducere quis velit. Vnde perbene *Brunsmannus Grat. nat. int. l. 5. c. 29. p. m. 369.* ait: *Si demonſtratum eſſet terram circa ſolem moueri quotidie, ſolem tamen motu vertente poſſe eſſe diei & noctis cauſam, ſic vt per miraculum ſiſti diceretur, cum verti deſinens omnium luminarium ferias induceret.*

§. V.

Vt itaque Joſua Solem iamiam occiduum per miraculum, omnes naturæ vires excedens, in Hemiſphærio Gabaonis & Aialonis ſupra Horizontem conſpiciendum retineret, eundem vna cum luna ſpiritu plane heroico & diuinitus firmato allocutus eſt. Vbi quidem eſt quod miremur dari nonnullos, qui h. l. non ipſum Solis corpus intelligere malunt, quam ſpurium aliquod, & ſuppoſititium, recens a Deo in hunc ſolum vſum conditum atque productum, quod occidente vero ſole fulſerit, lucemque Joſuæ deſideratam dederit. Quo in errore verius quam opinione *R. Kimchium fuiſſe Autor eſt Olearius* Com. Joſ. X. p. 81. conf. etiam de שמש מוב Maſius Comment. ad h. l. Sicuti enim temere & absque vlla neceſsitate contra Scripturæ literam hoc ipſum fingunt, ita Scripturam eidem reclamantem dicere pro excutiendo hoc figmento ſufficiet. Sunt etiam qui pro obtinendo hinc alio conſectario ſplendorem potius ſolis quam ipſum ſolem intelligi abs Joſua voluerunt, a literæ ſic proprietate ad metonymiam delapſi, idque ex hac (ceu arbitrantur) neceſsitate: Quod ſol & luna iubeantur ſtare, & ſtetiſſe deinde dicantur *in Gibeon* & *in valle Aialon*, ad quæ tamen loca ſubſtantia luminarium nunquam, bene tamen ſplendor eorum atque lumen peruenerit. Huc dubio procul collimat Guerkius Exper. Magd. l. c. vbi tamen notandum intelligere eum ſplendorem ſolis, iam infra Horizontem conſtituti, reſiduum. Alio quidem ſenſu *Foscarini* cit. a Wittichio Conſenſ. Verit. p. 658. §. 813. *Poteſt hoc ita accipi, vt non proprie corpus ſolare, ſed ſolis ſplendor ſubſtiterit, ex eo, quod non ipſe ſol, ſed terra ſplendorem eius recipiens motum ſuum ſtiterit, quæ ſicut ordinarium ſuum motum orientem verſus indeſinenter perſequendo, ſolis ſplendorem in occidentem accepiſſet, ita immota manente, immotus etiam ſtetit ſolis ſplendor in eam impreſſus.* Conf. Copernicanorum illi qui nullum hic ſolis motum admittunt. Quemadmodum autem hypotheſin autoris ſuo nos loco relinquimus, nondum apodictica quadam naturæ veritate ad deſerendam Scripturæ literam redacti; ita nulla hic nobis

qui-

quidem videtur necesſitas cur ad metonymiam confugientes, luminarium intelligamus ſplendorem potius, quam corpus & ſubſtantiam vti deinceps oſtendemus. Iniurius tamen in dictum hunc Autorem fuerit, quisquis ex his eius verbis collegerit, ſtatuere eum: ſplendorem ſolis ſine ſole tanquam cauſa proxima ſuperfuiſſe; id enim duntaxat voluit, immoti ſolis ſplendorem, moto obiecto illuminando, ex vna eius extremitate in alteram deuehi; & immoto contra obiecto immotum quoque ſtare poſſe, id quod negari non poteſt. Conf. *Miſanders Bibl. Ergetzl.* Jan. 1695. Reſtat ergo dicendum ipſum verum ſolis corpus hic intelligi. Quamuis enim de lumine ad ſuperandas hoſtium reliquias ſollicitus eſſet Joſua, quia tamen, Sole ex oculis eius ſublato & infra Horizontem depreſſo, non paterat non omnis etiam ſplendor euaneſcere, ipſum etiam corpus ſolis ſupereſſe iusſit. Quod vero cum Sole etiam lunam ſtare voluerit, non eadem omnibus viſa fuit ratio. *Autor Mirabil. Scripturæ S.* l. 2. c. 4. *Non etiam* inquit, *quod ad belli illuminationem luna tunc in præſentia ſolis proficeret, ſtare imperatur, ſed ne quid incongruo luminarium meatu per vnius quietem & alterius motum deſtrueretur.* Contra illuminationis ergo id factum eſſe cenſet *Guerkius* c. l. quando *ex hoc ipſo coniecturandum eſſe*, ait, *tum temporis, cum Joſua ſtare ſolem iusſit, illum occiduum, lunam vero orituram fuiſſe* NB. *vt ſoli occidenti ea ſuccederet.* Neutra nobis ratio probatur: non prior: ſic enim non apparet, qualis illa ex motu lunæ metuenda in orbibus iactura, per Dei, miraculi huius autoris, omnipotentiam non facile vel reſtituenda, vel euitanda. Non poſterior: Nititur enim illa falſæ autoris hypotheſi, de ſplendore ſolis iam occidentis in cœlo reſiduo. Rectius me quidem iudice illi, qui luminaria hæc duo, in diei noctisque dominium a Deo condita Gen. 1, - 16. a Joſua, vtriusque vicisſitudines vel permutaturo vel inhibituro, ſubſiſtere & ἀναποδίζειν quaſi iuſſa eſſe affirmat. In quem fere modum *Clarisſimus Maſius* ad h. l. *factum illud eſt*, inquit, *quia hæc duo præ ceteris aſpectabilia aſtra pro iis orbibus poſita ſunt, quorum conuerſione diei & noctis*

noctis conuersio efficitur. Ceterum cum Iosua vtrumque luminare dubio procul in cœlo conspexerit, vero simile omnino & maxime probabile nobis videtur, lunam in eo tum fuisse, vt ad oppositionem vergeret; sic enim, sole in Horizonte occiduo constituto, luna versus orientalem plagam posita omnium maxime corruscare, hominumque ferire oculos deprehenditur. Quamuis enim quosdam Rabbinorum ipsam coniunctionem lunæ & solis, adeoque nouilunium, tueri non diffitear, neque etiam me lateat tam *Heuelium Selenogr.* p. 282. quam *Keplerum Opt. Astron.* c. 6. sect. II. statuere: lunæ nouæ corpus in cœlo circa meridiem conspici posse; imo Anno 1553. Hispali conspectam esse notante eodem Keplero in nou. Stell. Serpent. cap. 24. Cum tamen prius illud sine fundamento vllo a Rabbinis dictum sit; & posterius plane insolens atque rarum & per vitæ nostræ tempora nondum contingens; adhæc tubis potius quam nudis oculis obseruandum; non video cur ad istas difficultates dilabendum nobis siet, præsertim si verba textus בגבעון בעמק אילון commode explicari, stante etiam oppositionis luminarium hypothesi, queant.

§. VI.

Excutienda porro erit quæstio: quid sibi velit ista luminarium statio, abs Iosua desiderata & impetrata? Voces in textu præcipue duæ occurrunt דמם עמד & דמם. Posteriorem hanc proprie quidem *silere, conticescere*, metaphorice autem *quiescere* & *subsistere* significare satis constat; emphasin autem ipsius e plurimis Scripturæ locis parallelis propositam vide sis apud *Olearium Bibl. Erklæhr.* h. l. & *Misanders Bibl. Ergetzl. Mens. Ian.* 1695. Vter vero hoc in loco significatus obtineat. ipse contextus & materia, vt loquimur, substrata & verbi insuper עמד, huic Synonymici, collatio facile euincit. Vnde optime *Masius* ad hanc vocem: *Etsi* TACERE *interdum significet & hanc significationem secuti sint hebræi, verior tamen mihi visa est LXX. & Symmachi sententia, qui omnes per insistere morari & quiescere acceperunt, hanc enim dilucide veram verbum* עמד *ostendit.*

Eius

Eius enim vocis ſignificatio, minus æquiuoca, ſtationem, ſubſiſtentiam & permanſionem omni dubio procul arguit & infert. Cumque verbum עמר non de luna tantum, ſed & ipſo ſole in textu noſtro v. 13. nec non Hab. 4. - 11. expreſſe a Spiritu S. adhibita ſit, neſcio vnde *Zimmermannus Script. Coperniz. Part. II. c. 1. §. V.* Argumentum pro hypotheſi Copernicana inde elicere tam audacter conatus ſit, quod Scriptura vocem עמר de luna & non de ſole vſurpare voluerit; quod ipſum eius argumentum neceſſario ſic corruet. Ceterum ſtante hac vocum hebraicarum emphatica ſignificatione, omnimodam vtriusque luminaris quietem & ſtationem arguente, a veritatis tramite vtique aberraſſe dicendus erit R. Chasdai citatus & refutatus abs Abarbanel dicto ſæpe loco; qui opinatus eſt: Solem non perſtitiſſe, ſed retardatum quaſi lentiori duntaxat motu inceſſiſſe; adductus forte illa loquendi formula, qua *ſolem non feſtinaſſe vt occideret* textus affirmat; conf. *Eraſmus Franciſci* l. c. p. 892. cui quidem interpretationi fauere videtur *Chaldæus Paraphraſtes*, qui vocabulum אָרַךְ quod eſt *prolongari, produci* adhibuit. Verum ſola hæc denegatæ feſtinationis phraſeologia, recte explicanda, genuinam vocabulorum דמם & עמר ſignificationem tollere neutiquam valebit. Nihil itaque adhuc reſidet dubii, quin reuera quietum ſteterit, & a motu ſuo ceſſauerit vtrumque luminare. Iuxta quem vero motum & ſol & luna ſteterint, expreſſa Scripturæ litera non aſſeuerante, ex circumſtantiis eruere oportebit. Sed vero cum Ioſua imminentis noctis tenebras arceri, diemque ſic vltra ſolitas naturæ vices prolongari vellet, manifeſto apparet, illum inhiberi motum, quo dierum noctiumque viciſſitudines per ortum & occaſum luminarium introducuntur. Tantum quidem ex Scripturæ hoc contextu; reliquis ex natura ſupplendis. Triplicem autem vtriusque luminaris motum, vt ex Aſtronomia patet, vel ſolus hominum ſenſus nedum experientia & ratio deprehendit. Motum ſcilicet in vtroque ſic dictum *primum* ſ. *communem*, quo ab ortu in occaſum cum omnibus ſideribus aut voluuntur aut volui ſaltem apparent; & *ſecundum* ſiue *proprium* quo ab occa-

ſu ortum verſus vel progrediuntur, vel progredi ſaltem apparent; quibus accedit *tertius*, in ſole quidem *gyrationis* circa centrum, in luna vero *librationis* ſic dictus, ex maculis vtrobique obſeruabilis. Ecquis vero horum iſte demum ſit, qui ortum & occaſum ſiderum, adeoque noctis & diei vicisſitudines inferat atque cauſetur, circa illud quidem momentum in diuerſa longe abeuntes videas Aſtronomos. *Tychonici* motum *primum* & *tertium* pro vero, *ſecundum* pro apparente agnoſcentes, priorem defendunt, ſolemque, cum luna reuera ab ortu verſus occaſum moueri ſolitum, conſtitiſſe & ab hoc ſuo motu ceſſaſſe contendunt. *Copernicani* motum *primum* pro apparente, *ſecundum* autem & *tertium* pro vero agnoſcentes, tertium defendunt, ſolemque circa ſuum centrum gyrari, eaque ſua gyratione, reliqua planetarum corpora adeoque terram ipſam ſecum rapere ſolitum, immotum conſtitiſſe, & reliquis etiam Sideribus, adeoque & terræ, quietem induxiſſe ex parte contendunt. Quem ex his motum textus ſacer h. l. innuat, expreſſe non additur, adeoque & nos (neutrobique apodicticis argumeutis victi) nil certi determinaturi, dicimus: Vtrumque per hunc Scripturæ textum (aliis hac vice vel ſepoſitis, vel Theologorum Cathedræ reſeruandis) æque facile poſſe defendi; plane ad exemplum Exell. *Reyheri*, qui cit. loco p. 606. *nihil ex recenſione hac determinari poſſe*, affirmat, *quia eadem vtrobique res obtinetur.* Et ſane perplacent allegata iam ſupra *Brunsmanni* verba l. 5. c. 29. p. 369. quibus ſtante hypotheſi Solis, circa ſuum tantum centrum agitati, ne ſic quidem iuſtam eſſe cauſam, ad ſpeciem & apparentiam diſcedendi, aſſerit; ſic vt vertigine quotidiana circumagitatus ſol, verti nunc deſinens, omnium luminarium ferias induxiſſe dicendus eſſet.

§. VII.

Progredimur ad explicanda, quæ ſcrupulos plurimis mouerunt haud leues, ſacri textus verba: quibus Sol בגבעון & luna בעמק אילון ſtare iubentur. Non deſunt qui ineuitabili necesſitatis lege literam hic textus deſerendam canunt, niſi apertisſimum inde ſecuturum abſurdum velis admittere. Quan-

Quando enim textus & בגבעון & בחצי השמים ſtetiſſe Solem expresſis verbis affirmat, vix conciliari poſſe viſa eſt illis, niſi alterum reuera, alterum apparenter duntaxat dictum acceperis. Vnde *Gverkius* cit. ſæpe loco, *ſequeretur*, inquit, *quod Gibeon & medium coeli eſſet vnum idemque;* quo argumento ſuam inter alia hypotheſin de ſplendore ſolis ſtabilire conatur. Sed recte quidem hanc autoris conſequentiam refellit Franciſci c. l. p. 878. Si quid in coelo e certo loco terreſtri conſpiciatur, non ſtatim ſequi, & locum illum terreſtrem e quo, & coeleſtem in quo videtur, vnum eſſe & eundem. Sol enim in hemiſphærio coeleſti ſubſiſtens Gibeone conſpici poterat, verum inde coeli & terræ locus non erit idem. Sunt porro etiam, qui verticem Gibeonis & Aialonis, & punctum Zenith hac loquendi formula innui contendunt. Vnde *Oſiander Comment. Ioſ. p. 80. ſtabat Sol ea coeli parte, qua illud diuiditur in duas æquales partes nempe circa punctum verticale in ſphæra recta*, & *Münſterus* ex mente hebræorum ad h. l. refert; *pugnam contigiſſe, quando Sol in ſummo coeli faſtigio videtur hominum capitibus impendere.* Verum ſic concedendum eſſet, Solem Gibeoni, & lunam Aialoni apparenter tantum fuiſſe verticalem. Conſtat enim Sphærologiæ vel leuiter peritis, Solem ſphæræ temperatæ habitatoribus nunquam fieri poſſe verticalem eoque minus, quo magis a tropicis recedunt, cum idem ab æquinoctiali ad ſummum digrediatur $23\frac{1}{2}$ gradus fere, quanta ſc. eſt maxima Eclipticæ, & in ea ſolis declinatio. Iam vero, omni Palæſtina intra ſphæram temperatam redacta, Gabaon ſpeciatim & Aialon intra 31. & 32. latitudinis gradum fuerunt ſitæ. Quodſi igitur miraculum hoc fuiſſet circa ſolſtitium nobis brumale, a vertice horum locorum diſtitiſſet ſol ad 54 gradus, qui 810. millaria germanica (pro quibus *Megerlinus Syſt. Copern. p. 77.* ponendo certum numerum pro incerto, vltra 500. habet) in terræ globo conficiunt; ſi vero circa alterutrum æquinoctium, a puncto Zenith abfuiſſet ſol 31 gradus, qui faciunt 345. millaria; ſi tandem circa ſolſtitium nobis æſtiuum, ad minimum 8. gradus, qui faciunt 120 millaria, ſol a vertice remotus fuiſſet. Alii

ad lineas Gibeonis & Aialonis meridianas confugientes, ſolem in Gabaonis, lunam vero in Aialonis meridionalem lineam reponunt. Sed præterquam quod veſperaſcente coelo probabiliter contigiſſe hoc miraculum ſupra diximus, difficile omnino videtur Ioſuam diſtantiam linearum meridionalium dictorum locorum nudo oculo obſeruare potuiſſe, quæ, vtut 5. vel 6 milliarium in globo terreſtri interuallum ſtatuas, ipſis tamen oculis plane eſt inſenſibilis. Copernicanorum nonnulli ſtatim hic confugiunt ad ſuam hypotheſin de Scriptura ad vulgi captum ſe attemperante. Vnde Megerlinus c. l. p. 77. *Manifeſtiſſime, inquit, locutus eſt Ioſua tantummodo ad apparentiam, tunc enim ſol non ſolum in Gibeon, ſed etiam in his noſtris regionibus & in toto terræ hemiſphærio erat.* & Wittichius Conſ. Verit. aph. 841. p. 682. *Accurate loquendo non magis ſol in Gibeone potuit dici conſiſtere, quam in aliis quibuscunque locis ſub eodem Horizonte cum Gibeone ſitis.* Quæ ipſa vtriusque autoris verba, dummodo vulgi errorem a Scriptura arcerent, tolerari forſitan poſſent. Reuera enim, quotquot ſupra Horizontem eleuatum videre poterant ſolem, eundem quoque ſubſiſtere poterant, dum vellent, animaduertere; quod negari non poteſt. Propter ea tamen non dum ſequitur, locutam hic eſſe Scripturam minus accurate & ad apparentiam quidem, non autem rei veritatem. Vnius enim poſitio non eſt alterius excluſio; Gibeone ſol ſtetiſſe dicitur, non negato, quod & in aliis terris ſtatio iſta obſeruari potuerit. Verum dicendem nunc tandem, quod res eſt. Quemadmodum ſenſum mentemque verborum egregie ſatis exprimunt *Vinarienſes: Sonne, vvie du ietzt zu Gibeon geſehen vvirſt, ſo bleibe alſo ſtehen, und gehe nicht unter biß vvir unſere Feinde gerochen haben &c.* Conſentientibus & Batauis ad verba *Gibeon* & *Aialon:* ſtaet ſtille Sonne te dier plaetſe, daar ghy nu ſyt, en gaet ons niet onder, ter wyle wy in Gibeon ſtryden, ende Maen en brenght ons ten nacht niet an: Ita quoad verba בגבעון & בעמק אילון dicimus, commode eas verti poſſe: *contra Gibeon & contra vallem Aialon.* Notante enim Noldio in Concord. part. p. 145. ſeq. particula ב infinitis in locis proprie *contra* ſignificat. Quare et-

etiam autor mirabilium Scripturæ S. L. II. c 4. ſic reddidit illa verba: *Sol ſtetit contra Gabaon* &c. & Rabbinorum plurimi particulam כ h. l. per נכח quod eſt *e regione* exprimere maluerunt. Et hanc ipſam verborum vel verſionem vel ſignificationem fuſius & exquiſite ſatis perſecutus eſt *Brunsmannus* c. l. p. 376. ſeqq. Neque vero obſtare nobis poterat, quod Excellentisſimus *Reyherus* Matth. Moſ. p. 598. ſeq. iſtam particulæ כ verſionem in Peyrerio tanquam falſisſimam redarguat. In eo quippe eſt Celeberrimus Vir, vt inſipidam autoris hypotheſin, ex hac ſola verſione fundamentum ſibi conciliaturam, refellat, adeoque alteram particulæ כ ſignificationem vrgendo oſtendat, hæc ſi obtineret, corruere omne & vnicum Autoris fundamentum. Ceterum & hoc notamus: quando ſol e regione Gibeonis, & luna e regione Aialonis dicitur ſtetiſſe, non præciſe ipſas intelligi vrbes, ſed omnem inter illas, earumque confinia tractum, & loca, campeſtria, vt adeo Solis atque lunæ corpora, ſicuti in iſta planitie tum temporis Ioſuæ apparebant, perſtare iubeantur. Quod quidem colligitur (1) ex generali ſcopo Ioſuæ, qui itinera hoſtibus fuga ablatis & a ſe perſequendis, pasſim repleta ſolis ſplendore voluit eſſe illuſtrata. (2) ex eo, quod vallis iſta, hoc loco Aialonis dicta, Ieſ. XXVIII. - 11. a propheta, miraculi huius mentionem iniiciente, vallis Gibeonis dicatur. Vnde *Maſius c. l.* recte quidem inferre voluit, eam planitiem vtrique vrbi communem, Macedam vsque pertigiſſe, & locum hic eundem vtrobique ſignificari. (3) ex infinitis aliis Scripturæ locis, in quibus eadem loquendi ratio obtinet. Sic enim, præſertim in metricis, ſingulæ fere paginæ aliquot offerunt phraſeologias eiusmodi, vbi duarum vel trium enuntiationum ſubiecta & prædicata promiſcue permutari, & vnius prædicatum alterius ſubiecto, & vice verſa, tribui commode poteſt, vt euolenti vel ſolos Pſalmos XCVI, 11. 13. XCVII, 1. 8. CII. 4. 7. 12. 23. CIII. - 7. 10. CIV. 4. 7. CV. - 6. 9. 10. 23. CVI. - 22. erit manifeſtum. E quibus hac vice notamus CIII, 7. vbi dicitur: *Moſi notas fecit vias ſuas, & filiis Iſrael opera ſua*, hoc quidem ſenſu, vt & Moſi & filiis Iſrael, vias & opera ſua patefeciſſe dicendus ſit DEus. Ita pariter h. l. Sol & luna ſtare iubentur in tractu

 illo,

illo, & planitie Gabaonico-Aialonica, non enim Sol magis e regione Gibeonis quam Aialonis ſtetiſſe videtur.

§. VIII.

Explicandum porro, quodnam ſit חצי השמים medium illud coeli, cuius v. 13. fit mentio. Nonnulli hic ad verticale punctum eo lubentius recurrunt, quod prior illa loquendi ratio §. præc. explicata ſaluari hac ratione ipſis videatur; ſed quo fundamento illud dici posſit ibidem oſtendimus. Qui vero meridiem in hoc miraculo defendunt, vnico huic fundamento innixi, de linea meridiana ortum ab occaſu quaſi diuidente, illud explicant. Verum Sole prope occaſum conſtituto, vt nos quidem probabiliter euicimus, ſententia iſta ſponte corruet. *Ioh. Iac. Zimmermann* iuxta hypotheſin Copernicanam hoc dictum explicaturus, *Script. Coperniz. P. II. c. 1. p. 37. & Exerc. Theor. p. 127. Prop. 2.* de *centro vniuerſi* illud explicat, ratus, cum de linea meridiana explicari non posſit, nullum ſupereſſe aliud coeli medium, niſi meditullium ſeu centrum coelorum. Sed vocabulum חצי de meditullio quodam ſeu centro nunquam explicabitur, vtpote quod dimidiatam partem potius, quam centrum ſignificat, radice ſua illud demonſtrante; quare & Chaldæus paraphraſtes vocem פלגות quod dimidium proprie denotat, vſurpat. Sunt qui per medium coeli quodcunque coeli ſpatium, ſeu coelum ipſum ſimpliciter, non habito ad certum locum ſitumue reſpectu, intelligi aſſerunt. Ita plane *Franciſci* c.l.p.877. *das vvird nach gevvoehnlicher Red-Art mitten am Himmel genandt, vvas unſere Augen am offenbahren Himmel bemercken, ob es gleich nicht* vertical *oder Scheitel recht über uns ſtehet.* Quibus conſona ſunt, quae habet laudatus ſæpe Brunsmannus l. c. p. 380. *Stetit ſol vere & proprie in medio coeli, cum in coelo ſupra Horizontem ſtaret conſpicuus:* id quod phraſibus biblicis & locis N.T. probat, quibus *in medio alicuius rei* eſt *in ipſa re.* Quam virorum iſtorum explicationem probabiliorem ego quidem crederem, ſi pro חצי in textu foret קרב quæ non tantum eo ſenſu adhibetur in Scriptura V. T. (v. c. Gen. XLV. 6. vbi בקרב הארץ *in medio regionis* ſeu terræ illius eſt *in ipſa regione*) ſed & græco vocabulo μεσουρανήματος Apoc. VIII, 14. allegato a Brunsmanno conuenire magis videtur. Reſtat itaque dicendum: Per medium ſeu dimidium coeli h. l. indigitari, dimidiatam illam coeli ſuperioris nobis & viſibilis partem, quam vſitato in Aſtronomicis vocabulo *Hemiſphærium* dicimus, reſpectu ſcil. habito ad Aialon & Gibeon. Quæ ipſa explicatio & voci textus & ſenſui adeo nobis ſatisfacere videtur, vt reliqua omnia cum eo ſtare, & plurimæ ſic difficultates tolli queant; mirumque nobis ſit, cur iſthæc *Abarbanelis* obſeruatio locum non inue-

inuenerit, quando Comment. in h. l. ait: כבר ידעת שהשמים אשר
הם ממעל הארץ נכח ראשינו יקראו חצי השמים לפי שהחצי
האחר מהשמים הוא למטה מן הארץ & paullo post בחצי
השמים איו חצי חיום ולנא יתחיב ממנו אבל בהיות השמש
למעלה מהאופפ יומר שהוא בחצי חשמים quæ ſic vertimus: *Iam ante conſtat quod illa pars coeli, quæ eſt ſupra terram e regione verticis noſtri, dicatur dimidia pars coeli* (HEMISPHAERIVM) *quoniam altera illa medietas coeli ſub terra eſt*, & deinceps. *In dimidia parte coeli non ſtatim eſt dimidium diei, neque enim exinde ſequitur, ſed exiſtente ſole ſupra Horizontem dicimus eum eſſe in dimidio coelo.* Et propterea verba hæc adiici crediderim, quod ſplendor ſolarium radiorum ex refractione aliisque cauſis reſiduus, Sole iam infra Horizontem depreſſo, terras illuſtrare aliquantiſper valeat. Quod ne tum quoque accidiſſe arbitrere, emphatice additur: Solem, vt vt Horizonti occiduo vicinum, non occidiſſe tamen, ſed in ipſo viſibili Gibeonis & Aialonis hemiſphærio conſpicuum, lumen quaqua verſum in terras iſtas ſparſiſſe: Vt vel ſola hac loquendi ratione refellantur ſatis, qui ad reſplendeſcentiam & refractionem refugere malunt, de quibus ſupra.

§. IX. Quæ adduntur tandem verba ולא אץ לבוא כיום תמים *& non feſtinavit occidere ſicut die perfecto*, præceps in noctem diei (ſupernaturaliter deinde prolongati) tempus, me quidem iudice, arguere videntur, adeo vt verba Excellentiſſimi Reyheri Math. Moſ. p. 599. §. 8. hypotheſin illam veſperaſcentis iam iam coeli falſiſſimam pronunciantis, ex feruore ſatis laudabili in peruerſam explicationem, ad naturales cauſas miraculum hoc reducturi Peyrerii proueniſſe credam. Nec vero male hic vocabuli אץ emphaſin vrſerunt nonnulli, aſſerentes: Incubuiſſe Solem quaſi Horizonti, premendo eum, vrgendo, arctando, occidere tamen non valuiſſe: *Es hatte nemlich die Sonne nicht Krafft noch Vermoegen, ſich, vvie ſie am Vntergang pfleget, den Augen der Menſchen eiligſt zu entziehen.* Neque etiam omne eximere videtur dubium, quisquis ſolem, a linea meridiana deflectere incipientem, occidere dixerit. Pari enim ratione orientem quoque ſolem ad occaſum vergere dixeris, mira tamen vocum transpoſitione, ortum cum occaſu, noctem cum die facile permutante. Adde quod inter mirabilia DEI referat Amos (alio licet forte ſignificatu) VIII. 9. Solem circa meridiem occidere. Ceterum cum non occidiſſe prius ſol, quam die perfecto, dicitur, mirum ſane, quod tam alienas ab hoc textu opiniones de duratione huius miraculi foueant nonnulli. Sic enim Rabbi Chasdai unius tantum horulæ ſemiſſem peſtitiſſe contendit; referente illud *Franciſci* c. l. p. 892. & trium horarum moram placuiſſe *Toleto* l. 4. Phyſ. c. 14. quæſt. 16. Autor. eſt *Ricciolus*

lus Almag. N. T. 1. Lib. 9. Sect. 4. p. 482. Spinoſa quoque cit. ſupra loco diuturniorem quandam ex refractione lucem obtrudere conatur. Quæ tamen omnia quomodo huic textui conciliari queant nondum video. Expreſſis enim verbis perfecti diei mora aſſeritur, quam ſi conferas verbis Syrac. c. XLVI, 5. μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο dici non poteſt, quam inter ſe diſcrepent in definienda miraculoſi huius ſolſtitii quantitate Autores conf. *Ricciolus* c. l. aliique ab eo allegati. Speciatim autem hebræorum alii cum R. Ben Levi 24. alii cum R. Eliezer 36. iterum alii cum R. Bar. Nachmani 48. horas, diuerſimode quidem nunc primæ ſolis ſtationi circa meridiem, nunc motui inde ad occaſum, nunc iteratæ ſtationi circa Horizontem diſtribuendas, huic miraculo aſſignant, docente illud Abarbanel Com. in Ioſuam, & ex eo *Franciſci* dicto ſæpe loco. Verum ſi quid hic certi determinandum fuerit, notanda erit inter diem artificialem & naturalem differentia. Naturalis quippe dies in 24. horas, quibus reuolutio iſta ſeu ſolis ſeu terræ diurna peragitur, deſcriptus, diem artificialem comprehendit noctemque, non habito ad ſphæræ terreſtris poſitum reſpectu, adeo vt in ſeptentrionalibus locis, vbi perpetuus tamen ſolis ſupra Horizontem exiſtentis ſplendor diem facit ſine nocte, ſua etiam ratione locum habeat. Artificialis autem dies, ſolis ſupra Horizontem commorantis momenta complexus pro loci latitudine variat. Cumque perfecti diei fiat hic mentio, veroſimiliter colligimus, loqui textum de naturali, non artificiali, die. In ſphæra enim obliqua ecquis artificialium perfectus dies dici meretur? vtrum qui pauciſſimas, an plurimas, continet horas, an demum qui medium obſeruat inter vtrumque? Niſi vero cum *Maimonide lib.* מורה נבוכים Par. 2. c. 35. longiſſimum diem dixeris perfectiſſimum qualem ſolſtitiali conuerſione ſol conficit. Quamdiu itaque de anni tempore, Solis loco in Zodiaco, & terreſtris loci latitudine nondum conſtiterit, ne diei quidem artificialis quantitas, ne dum miraculoſi huius ſolſtitii duratio in horis definiri poterit. Quod ſi tamen, vt omnino videtur, de naturali hic ſermo ſit, dicerem cum *Clauio*, *Munſtero* aliisque: Solem per 24. horas (quæ conſtituunt יום תמים) in Horizonte immotum eſſe viſum, ita tamen vt adiectis horis diurnis, intra quas ab ortu verſus occaſum translatus apparuit, vere dici a Syracide poſſit: μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο; & in textu non erat dies antea nec poſt huic conferendus.

§. 10. Ceterum ſufficiant iſta hac vice; cum præſentium pagellarum ratio non permittat, vt ad reliquas quæſtiones (v. c. de Chronologia, de die huic non ſimili, de ortu & occaſu ſolis, de profanorum Scriptorum teſtimonio aliisque) nos dilabamur. Sit interim DEO Optimo Maximo, & in operibus ſuis maxime mirabili laus, honor, gloria ſine F I N E.